



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXIX. Christus crucifixus typus perfectissimus patientiæ.
quem in omnibus adversis nos oportet intueri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXIX.

Christus crucifixus typus perfectissimæ
patientiæ, quem in omnibus adversis nos
oportet intueri.

*Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen,
aspicientes in authorem fidei, & consummatorem
JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.
Hebr. 12. 1.*

I.

ET quis non mirerur, quòd Dominus noster JESUS CHRISTUS ad
gloriam suam in monte Thaboræo ostendendam tres solum
discipulos, quos impensius amabat, secum adduxerit, cæteris
omnibus in subjecta valle relictis: *Et post dies sex assumit JESUS* Math. 17. 1.
Petrum, & Jacobum & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in mon-
tem excelsum seorsim, & transfiguratus est ante eos. Quare obsecro, non
universam civitatem Solymæam ad hoc jucundissimum invitavit spe-
ctaculum, aut saltem omnes Apostolos ac fideles tunc sibi adherentes?

A monte Thaboræo ad Calvarium transeo; Superi! quàm im-
mensus hic populus, qui ad cruentum illud crucifixionis spectaculum
admissus est: *Sequebatur autem illum multa turba populi.* Et quæ causa hu- Luc. 23. 27.
jus mysterii? Respondeo, alia esse Dei, alia hominum judicia ac con-
silia: Ut cerneretur Christus in monte Thabor gloriosus, tres tan-
tum ac charissimos ascivit discipulos, quia prosperitas & gaudium vix
illis, crux autem & afflictio innumeris prodest hominibus; hic enim
vero poterant videre, quàm immenso divini cruoris pretio Filio Dei
steterit animarum salus, ut & nos *per patientiam*, prout monet Apo- Hebr. 12. 1.
*stolus, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei,
& consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* O chara
patientia! quam in hac consideratione à Christo crucifixo nos oportet
addiscere.

2. Præses ille Judææ Pilatus à Tiberio Romanorum Imperatore ad hanc gubernandam provinciam destinatus, plura sine dubio de Christo audivit miracula, quomodo cæcos illuminavit, claudis gressum, surdis auditum, & mortuis vitam restituit, in his tamen non legitur, quòd alicujus admirationis signum dederit; sed ubi ipse illius invictam vidit patientiam, dum inter tot accusationes hostiumque calumnias nec verbulum in sui protectionem & purgationem reposuit, obstupuit: *Ita ut miraretur Præses vehementer.* Ecce Pilatus admiratus est plus Christi patientiam, quàm ejus miracula. Et dum Joseph ab Arimathæa ad eum venisset: *Audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu,* de novo in admirationem raptus est: *Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset.* En summa Christi ad mortem crucis destinati patientia etiam hominem Gentilem in stuporem traxit. Et tu homo Christiane quid? *Venit ille pati,* ait S. Augustinus, *venit ille mori, venit ligno crucifigi.* *Omnia hæc ille propter te: tu nihil pro illo?* Et tu!
3. Isaac patienter tulit, dum ei pater imposuit ligna holocausti, super ea DEO in victimam in monte Moria immolandus. Plus Christus, dum ei Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit in ara crucis immolandum, ubi os suum non aperuit, sed tanquam agnus mansuetus ductus ad victimam. Ah ubi nostra patientia in adversis?
- Joseph patienti animo sustinuit, cum à fratribus captus, spoliatus in cisternam veterem missus, & Ismaelitis venditus est, illisque hoc facinus clementer indulgit. Plus Christus à Judæis fratribus captus, ligatus, flagellatus, spinis coronatus, & crucifixus, ubi adhuc Patrem pro eorum salute impensissimè oravit: *Pater dimitte.* O patientiam immensam!
- Moyse vir patiens ac mitissimus super omnes homines, qui tunc temporis intervallo morabantur in terra, non duntaxat pro sorore detractrice & leprâ infecta oravit, & per orationem suam ei à DEO sanitatem impetravit; sed & murmurantem ac seditiosum populum, cum iratus DEUS eum percuteret incendio, cum fratre Aarone stante cum thuribulo inter vivos & mortuos, DEO reconciliavit: *Et plaga cessavit.* Plus Christus Patientissimus ac mitissimus stans in cruce inter vivos & mortuos; à Patre ecclesti obtinuit; cum enim jam omnia elementa in perditionem generis humani conspirassent: *Et terra mota est &c.* Sanguis crucifixi Jesu non vindictam, sed misericordiam clamavit: *Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis.* O abyssum infinitæ charitatis & patientiæ!

4. Acclamabant quondam impii Judæi Christo Domino in summis & extremis doloribus in patibulari ligno pendenti: *Si Rex Israel est, Math. 27. 42*
descendat nunc de cruce, & credimus ei. Sed noluit mitissimus Dominus tot fannis impiorum irritatus crucem suam deserere, quia ex Patris præcepto in cruce mori voluit, ut nos miseros morte sua ab aeterna morte redimeret; proinde omnia illorum contempsit impropria, & constans in cruce permansit, atque in ea mortuus est. En Domine, jam volunt credere in te scelerati illi deicidæ, si hoc ultimum signum in illorum facis conspectu: *Descende de cruce, & credimus?*

¶ S. Gregorius M. *Si, inquit, tunc de cruce descenderet, nimirum in-* S. Gregor.
sultantibus cedens, virtutem nobis patientia non demonstraret; sed expectavit pau- hom. 21. in
lulum, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulit admi- Evang.
rationem; Et qui de cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plus igitur
suit de sepulchro surgere, quàm de cruce descendere: Plus suit mortem resurgen-
do destruere, quàm vitam descendendo servare. En invictum patientiæ specu-
 lum, & exemplar absolutissimum! Et quid, obsecro, nos oportet face-
 re in adversis? Num servus major est Domino suo?

5. Sedebat Pilatus pro tribunali, ut ad tot malignorum falsas accusationes innocentissimum orbis Redemptorem ad crucis condem-
 naret necem; novam instantiam illi faciebat uxor Claudia Procula: *Nihil tibi & Justo illi: multa enim passa sum hodie per visum.* Per quam vi- Math. 27. 19.
 sionem dæmon Pilati conjugem eò compellere studuit, ut maritum à
 condemnatione Jesu dimoveret. Et quare hoc?

¶ S. Laurentius Justinianus: *Diabolus expavescere cœperat, ne esset* S. Laur. Just.
ipse, per quem futura esset salus Judæorum; nam supra humanam consuetudinem de triumph.
atque virtutem, patientiam Christi esse cernebat. En insolita Christi patientia Chr. agone,
 diabolum eò commovit, ut ipsum DEum esse conjiceret, mundique cap. 13.
 Salvatorem. O si hæc patientia te non movet, homo Christiane,
 pejor diabolo es: *Quoniam tu es patientia mea Domine,* dicebat quondam psal. 70. 7.
 David inter tot adversa constitutus: *Domine spes mea à juventute mea;*
 Supra quod Le Blanc: Christus fuit prodigium patientiæ & omnis
 virtutis, præsertim in passione & cruce, portentum afflictionis & do-
 loris, quod patet ex Psalmo 21. Hunc patientiæ clypeum repræsente-
 mus nobis in adversis omnibus, & in quibuscunque sustinendis cala-
 mitatibus, & non erunt gravia, quæ toleramus.

6. Et quid dico ulterius de Christi crucifixi patientia? Pendebat
 medius inter latrones tanquam choragus & princeps eorum; blasphe-
 mabant eum prætereuntes, moventes capita sua, & exprobantes ei
 crucis culpam & pœnam: alii subsannantes in illum jaciebant turpissi-
 ma probra & convicia: imò & Sacerdotes ac Seniores cæteris viru-
 lentio-

Math. 27. 44.


lenticiores ejus subfannabant miracula quasi ex Belzebug facta; quinimò & ipsi latrones ad eandem crucis pœnam damnati, contra Filium Dei suas exferebant linguas: *Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* O patientiam plus quàm ferream! Et quid interim ad hæc omnia unigenitus Dei Filius? *Pater dimitte illis.* Observavit hæc insolitam Christi patientiam unus latronum, cui Dismas nomen, qui initio pariter cum cæteris illum blasphemavit: *Et visâ,* ait hîc Cornelius, *Christi patientiâ, tenebris, aliisque signis & miraculis respicit, ac in Christum credidit.* O chara patientia! de qua S. Jacobus Apostolus: *Patientia opus perfectum habet.*

Jac. I. 4.

Ex vita à Ribad, & aliis scripta.

7. Consulatur S. Placidus, qui & Eustachius sub Trajano Imperatore nobilissimus & opulentissimus eques Romanus, pluribusque victoriis ac triumphis celebris, quem DEUS illo ævo, velut alterum Jobum mortalitati humanæ voluit esse singularis patientiæ speculum. Viderat is tunc adhuc Gentilis in venatione miræ magnitudinis cervum, qui intra cornua fulgentem quandam crucem, & in ea Christum Dominum vivum pendentem exhibuit. Obstupuit ad insolitum hoc spectaculum Placidus, & dum anxius hæret, quidnam in hæc re tam ardua agendum; Ecce ipse Dominus crucifixus dignatus est munus obire magistri, eumque in vera salutis semita & fide Christiana instruere; qui insuper insinuavit, quanta ipsum pro nominis sui gloria cum suis oporteret pro felici obtinenda aternitate pati, quod exinde per varios ac mirandos casus expertus est, dum paulò post illius perpellentiam, ut quondam Jobo, interierunt pecora, sublata ab eo divitiæ omnes, contemptus & despectus in alienas migrans oras, & uxorem perdidit, & duos filios, unum ab urso, & alterum à leone raptum, ipse autem coactus est, & improbo labore & mendicando victum quære e. Tandem questus de novo à Trajano Imperatore preficitur exercitui, ac partâ victoriâ uxorem & filios recuperat, quos omnes, quòd idolis immolare non vellent, sui martyrii comites habuit, quando in æneum & ab igne subiecto candentem taurum injecti, summâ cum patientiâ inter divinas laudes ad immortalem, ad quam à Christo crucifixo invitati erant, vitam transferunt. O chara patientia, quæ nos ducit ad cœlestia gaudia: *In patientia vestra possidobitis animas vestras.*

Luc. 21. 19.



CON.